

motum agendi excutit. Ita ergo informati simus, ut bonarum rerum subeat animum cogitatio: appetitus autem rationi obtemperet (si vere ut illud decorum custodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei alicujus affectus, sed ratio quid honestati conveniat, examinet. Et quoniam ad conservationem decori spectare diximus, ut sciamus in factis dictisque qui modus (prior autem ordo loquendi quam faciendi est) sermo in duo dividitur, in colloquium familiare, et in tractatum disceptationemque fidei atque justitiae. In utroque servandum, ne sit aliqua perturbatio, sed tamquam mitis et placidus, et benevolentiae plenus et gratiae, sine ulla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio: quaestiones enim magis excitare inanes, quam utilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitae id cavere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilii locum: ita etiam in sermone formulam eam tenere convenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis nostrae, aut ignaviae aliqua exprimamus indicia. Sit igitur sermo hujusmodi de Scripturis maxime. Quid enim magis nos oportet loqui, quam de conversatione optima, adhortatione observationis, disciplinaeque custodia? Habeat caput ejus rationem, et finis modum. Sermo enim taediosus iram excitat. Quam vero indecorum, ut cum omnis confabulatio habere soleat incrementum gratiae, habeat naevum offensionis? Tractatus quoque de doctrina fidei, de magisterio continentiae, de disceptatione justitiae, adhortatione diligentiae, non unus semper, sed ut se dederit lectio, nobis et arripiendus est, et prout possumus, prosequendus: neque nimium prolixus, neque cito interruptus, ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam. Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena gravitatis et ponderis: non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.